



1mo. Solidæ enim corporis partes, ac membra imperium animæ protinus exsequuntur. Sic si anima jubeat, ut manus, vel pedes moveantur, se movebunt; si velit, ut cessent, mox cessabunt.

2do. Vehementiores etiam partium fluidarum motus ex animi adfectibus dependent. Unde in accensa subito ira sanguis, humoresque conturbantur, ac tumultuosius ebulliunt, æstu autem animi deservescente tranquillitati de novo restituntur; in verecundia sanguis uberius ad faciem fluit, eamque rubore pingit; in repentino denique pavore sanguinis pars major ad cor redit, faciemque pallidam relinquit.

§. LIX.

Jam vero ipsum difficultatis punctum adtingimus. Enimvero quamvis sit certum, dari commercium animam inter, ac corpus; nihilotenus incertum est adhuc, quomodo fiat ejusmodi commercium. Ad complicatum hunc nodum dissolvendum tria excogitata fuere systemata: at propterea nodus iste plusquam gordius huc usque necdum fuit solutus.

§. LX.

Primum est systema iufluxus physici, seu Aristotelico-scholasticum, eoquod id ipsum Peripatetici tueantur. Consistit autem in eo, quod anima physice influat in corpus, id est, quod anima re ipsa, ac effective in corpus agat, illudque moveat, nec non, quod corpus physice influat in animam, & sensatione rei cujusdam facta intellectui speciem imprimat.

Illustrari solet hoc systema exemplo duorum horologiorum, quorum unum in alterum vinculo quodam ferreo re ipsa agit, sicq; in illud physice influat.

§. LXI.